

Epistola Patris Mathurin le Petit ad R. P. Franciscum Retz, Præpositum Generalem
Societatis Jesu, Romæ.

R. A. P.

Missio Ludovisiana luget duobus hoc anno
orbata Missionariis. Patrem Gabrielem
Guymoneau e provincia franciæ post 20 annos in
Missione Illinensi transactos sex dierum pleuritis e
vivis sustulit die 6^a februarii, magno omnium et
quidem Indorum desiderio quorum åos [animos]
eximio morum candore et virtutum ôium apostolica-
rum exemplo jam pridem demulserat.

Patrem Senat e provincia tolosana qui in eadem
regione alteram Illinensium missionem a 18 mensi-
bus tantum sed magna jam linguae peritia et majori
studio excolebat, belli casus nobis preripuit die
dominica palmarum. Exercitum nostrum ex gallis
et indis conflatum adversus Barbaros nomine tchika-
kas hujus coloniæ hostes comitabatur auxili spiritu-
alis causa. Infelix fuit hujus belli exitus. Nostri
ab hostibus cæsi sunt aut in fugam versi. Potuisset
P. Senat, ut multi, saluti suæ fuga consulere: sed
equum sibi oblatum dignatus maluit se barbarorum
furori permittere quam generosum exercitus ducem
et alios gallos quos videbat præ vulneribus humi-